cum omnimoda egeſtate, quod tribus explicat; *pauper*, privatus charitate, ac gratiâ ſanctificante; *cœcus*, deſtitutus nempe lumine, ac cognitione, & vera prudentia, in rebus agendis, & *nudus*, ſpoliatus omni virtutum ornamento, ac ſplendore, & conſequenter oppletus ſordibus, & inquinamento.

QUÆSTIO XL.

Quare cùm iſte Epiſcopus Laodicenſis ſe jactaret divitem & locupletem, tamen apud Deum inventus eſt miſer, miſerabilis, pauper, & nudus?

342. QUatuor ſunt bonorum genera. Primum fortunæ, ut opes, honores, & alia ſimilia. Secundum naturæ ingenium, vires, ac corporis elegantia; Tertium animæ, ut ſunt ſcientiæ artes, & reliqui habitus practici, & ſpeculativi acquiſiti. Quartum tandem dona gratiæ ut dona Spiritus ſancti, & virtutes infuſæ ac acquiſitæ. Quæſtio ergo eſt in quibus bonis hic Epiſcopus divitem, ac multùm locupletem, ac nullius indigentem ſe exiſtimabat; cùm revera eſſet miſer, & miſerabilis.

343. *Aretas. Baron. Bona temporalia faciunt inopem, non divitem. D. Auguſt.*

Primò. Andreas, Aretas, Baronius, auro, & divitiis divitem interpretantur; ex quo patet quàm falsò, ipſe ſe divitem dicebat, quia divitiæ non faciunt divitem, ſed inopem, ut eleganter D. Auguſt. in Pſalm. 31. de terrenis divitiis. *Non ſunt illæ divitiæ*, ait, *ſed mendicitas; quia quantò magis abundant tantò magis creſcit inopia.*

344. *Dignitas non bene adminiſtrata, non dignitas, ſed infelicitas eſt. Sidon.*

Secundò favet Richard. Victorin. quòd ſe divitem exiſtimabat honore dignitate, ac poteſtate, cùm Epiſcopali præeminentia fulgeret; ſed inde bene ei dicitur, quòd miſer, ac miſerabilis ſit; quia in dignitate poteſtas non rectè adminiſtrata non eſt fœlicitas, ſed ſumma miſeria. De quo latè differit Sidonius lib 2. Epiſtol. 13. qui poſt multa ſic ſubdit de poteſtatibus, *Hoc ipſo*, ait, *ſatis miſeriores, quòd parum intelligunt, inquietiſſimo ſe ſubjacere famulatui, nam ſicut hominibus Reges, ita Regibus dominandi deſideria dominantur, hoc ipſo infeliciores, quod fœlices reputantur.*

345. Tertiò, aliqui divitem interpretantur, quòd ſe divitem dicebat donis animæ, ſcientiâ ſcilicet eruditione, ac ſublimi ingenio. Sed ſcientia ſine charitate ac juſtitia, vera miſeria eſt. Ut ait Philippus Abbas Epiſt. Ad Engelbertum. *Nulla prudentia, nulla ſcientia, nulla litteratura affluentia, ſatis digna eſt commendari quæ non ſtudet virtutum propugnaculis commendari*, Ut ait S. Diadochus Epiſcop. Epiſt. de perfectione Spiritus, cap 7. *Nihil egentius*, ait, *illa mente quæ de Deo extra Deum philoſophatur.* Vide ſuprà hoc cap q. 19. n. 347 348. 349. 350.

Philippus. Miſer non probus, de Deo philoſophatur.

346. *Vera ſententia.*

Quartò, vera ac genuina ſententia eſt, quòd ille Epiſcopus ſe exiſtimabat divitem locupletem, ac nullius inſtructione indigentem in charitate virtutibus, ac bonis operibus cùm revera eſſet miſer, miſerabilis, pauper, & nudus illis omnibus deſtitutus; nam iſte Epiſcopus hypocriſi laborabat, ut dixi quæſt. 38. & ideò de ſua virtute multùm præſumebat, cum revera illius eſſet expers. Ita D. Ambroſ. D. Gregor. Albertus Magnus, D. Bonav. Richard. Alcazar, M Joan. de la Haye.

D. Ambroſ. D. Greg. Albert. D. Bonav. Richard. Alcazar. La Haye.

347. *D. Greg.*

Sic verba noſtri textus exponit D. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 3. *Qui*, ait, *per arrogantiam ſanctitatis extollitur: ſed pauper, cœcuſque, & nudus arguitur; pauper utique, quia virtutum divitias non habet; cœcus, quia neque paupertatem, quam patitur, videt; nudus, quia primam ſtolam perdidit; ſed pejus quia nec perdidiſſe ſe cognoſcit: quia ergo egeſtas reproborum eſt defraudatio meritorum; rectè de Leviathan dicitur:* Faciem ejus præcedit egeſtas. Job. 41. n. 13 Quod etiam eleganter deſcribit Richardus Victorin. *Sua miſeria*, ait, *per tria ſequentia diſtinguitur, & pauper, & cœcus, & nudus. Pauper per amiſſionem charitatis, quia ſi quis charitate caret, pauper eſt; cœcus per amiſſionem cognitionis, quia qui veritatem cognitionis non habet, nec ſe; nec ſibi utilia videt, nudus per amiſſionem boni operis, quia quem Diabolus bono opere denudat, nequaquam habet, unde ſe coram proximo exornet, aut operiat.* Cùm hic Epiſcopus careret charitate, ac cognitione veritatis, ac bonis operibus, quæ ſunt animæ indumenta, illiuſque pretioſiſſimæ divitiæ, rectè miſer, pauper, nundus, ac cœcus dicitur.

Job. 41. Richard. Qui charitate, ac bonis operibus caret pauper & nudus.

348. *Hic. Epiſcopus in peccato mortali.*

Ex quo non placet ſententia aliquorum qui hunc tepidum Epiſcopum dicunt, ſolùm aliquid de fervore charitatis remiſiſſe ac proinde ſolùm venialiter peccaſſe: ſimpliciter dicendum eſt, quòd hic Epiſcopus verè à charitate exciderit, proindeque lethalibus criminibus fuerit implicatus, Ita tenet Viegas Com. 3 ſect. 1. n 5. pro ea citat Richard. de S. Victor. Oecumenium, Bedam, Aretam, Joachimum, Pannonium, D. Ambroſ. D. Greg. D Thomam, & Origenem: in hac etiam ſententia ſunt Rupertus, Anſbertus, Gagnæus, Alcazar, Ferrarius, & alii.

Viegas. Richard. Occumen. Beda. Aretas. Joach. Panon.

349. *Comprobatur noſtra reſolutio*

Probatur ex textu; quia opera ejus non erant charitate formata, ut indicant Domini verba *Scio opera tua: quia non frigidus es, neque calidus, utinam frigidus, aut calidus eſſes.* Ac proinde pejor erat frigido quolibet, ſcilicet peccatore. Secundò de exiſtente in gratia verificari non poſſunt illa: *Tu es miſer, miſerabilis, pauper, & cœcus, & nudus.* Tertiò, erat iſte ſine auro ignito charitatis, ſine vera luce ſupernaturali, ac ſine veſte gratiæ, quæ tegit turpitudinem peccatorum noſtrorum, ut apertè indicant ſequentia verba, verſ. 18. *Suadeo tibi emere, à me aurum ignitum, ut locuples fias; & veſtimentis albis induaris, & collyrio inunge oculos tuos.* Ergo hîc eſt ſermo de tepiditate non veniali, ſed mortali.

350. *Præoccupatur obiectio.*

Dices tepiditas de ſe non eſt peccatum mortale. Reſpondeo, quòd quamvis in ſe non ſit peccatum mortale, tamen tepiditas fœcunda parens eſt mortalium, quia frequenter accidit ex quadam acedia, quia vires animi ſic elanguent, ut irruentibus tentationibus facilè peccato ſuccumbat homo: deinde potuit eſſe mortalitas in hoc tepido ex hypocriſi, vel ſuperbia, qua ſe nullius indigere dicebat; quod clarè patet, ſi hoc ſaltem implicitè ad Deum extendebat complacendo in ſuis fictis divitiis, atque chimæricis, ut in ſuo fine, & tandem hic tepidus pejor erat quolibet frigido peccatores, & ita ei dicitur, *utinam frigidus, aut calidus eſſes.*

351. *Divitiæ acquiruntur cum labore, poſſidentur cum timore, amittuntur cum dolore. D. Bonav.*

Ex quo conjice in qua miſeria iſte, qui ſe divitem jactabat, verſabatur ut ei dicatur, miſer, & miſerabilis es & pauper, verùm in quo miſer, ſi dives eſt? in quo miſerabilis, ſi nullius eget? In quo pauper, locupletatus eſt? Rectè reſpondet D. Bonav. tract. qui inſcribitur Dicta ſalutis, cap. 6 *Nota* ait, *hîc quinque in fortuna divitis avari, eſt enim miſer, quia cum labore divitias acquirit, miſerabilis, quia cum timore cuſtodit, pauper, quia cum dolore perdit, cœcus, quia nihil aliud reſpicit, & nudus, quia nullum aliud bonum facit.*

352. *Superius tantò in imo eſt, quantò in altum ſe erigit.*

Et tamen iſte maximè gloriabatur, & multa præſumptione in altum efferebatur in multitudine divitiarum ſuarum, ſe diceret divitem, locupletem, ac nullius indigentem, & tamen Dominus ad eum: *Neſcis, quia miſer, & miſerabilis es*, Nonne miſer, ac miſerabilis contemnitur, & ſub omnium pedibus eſt? Quomodo ſi ita elatus, ita depreſſus, ut miſer & miſerabilis ſit? quia ſuperbus quantò in altum ſe erigit, tantò à Domino in ima dejicitur. Hugo Victorin, cap. 2. in regulam D Aug. *Omnis ſuperbus*, ait, *tantò in imo eſt, quantò in altum ſe erigit, tantò profundiùs labitur, quantò excelſius elevatur.*

Hugo.

354. *Can. 6. Hebræ. Superbire. cadere eſt.*

Tempore diluvii, narrat ſacer textus, *Gigantes erant ſuper terram in diebus illis.* Gen. 6. n. 4. ubi nos habemus Gigantes, alii ex Hebræo legunt *cadentes*, quos ſuperbos Rupertus interpretatur, qui ob magnitudinem, ac molem ſui corporis multùm efferebantur in altum: & rectè tales cadentes dicuntur, quia ſuperbire cadere eſt. Rupertus lib. 4. in Geneſ. cap 14. *Cadentes autem*, ait, *rectè dicuntur, id eſt, ſuperbi quicumque potentes à ſæculo ſunt: nam hoc ipſum ſuperbire cadere eſt*, juxta illud. Pſalm. 81. n. 7. *Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus do principibus cadetis.*

Rupert. Pſalm. 81.

Satis nota eſt hiſtoria Simonis Magi qui ſuis Magicis artibus Romano præſerim Neronem dementans ab eis ob ſuam ſuperbiam divinos honores eſt conſecutus, qui cùm in cœlum arte magica vellet evolare, ut divinitatem ſuam mundo oſtenderet, Divina virtute in terram dejicitur, fractis cruribus ex ruina, ſuam mundo iniquitatem, ac vilitatem teſtificans, & qui intentavit evolare, non potuit amplius ambulare, & qui cogitavit alas precipere, pedibus caruit. Elegantiſſimè. D. Maxim. hom. 5. in natali Apoſtolorum Petri, & Pauli. *Ut qui*, ait, *paulò antè volare tentaverat, ſubitò ambulare non poſſet, & qui pennas aſſumeret, plantas amitteret.*

...; perdit pedes. D. Maxim.

355. *Luc. 10.*

Narrat D Lucas 10. n. 30. quandam parobolam, quòd *Homo quidam deſcendebat ac Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto.* Homo iſte, juxta D. Auguſt D. Chryſoſtom. Origenem. D. Cyrill. D. Thomam, & alios quos retuli tom. 3. in Evang. cap. 21. Expoſit. 5. n. 40 ſignificabat Adamum qui per peccatum cecidit à cœleſti Jeruſalem in Jericho, hoc eſt mundum & incidit in latrones Dæmones nempe qui ſpoliaverunt eum à Divina gratia, virtutibus, & donis, peccatorumque vulneribus affecerunt, & reliquerunt eum ſemivivum, ſeu ſemimortuum, quia corpus non occiderunt ſed animam; nam mortaliter delinquens ſemivivus eſt, ſecundùm corpus vivit, ſecundùm animam mortuus eſt. Sed contra hanc expoſitionem inſurgit grandis difficultas, quia iſte homo incidit in Latrones deſcendendo, at Adamus tentatus eſt à diabolo, non deſcendendo ſed aſcendendo per ſuam ſuperbiam: dixit eis Diabolus, *eritis ſicut Dii.* Sed ipſe aſcenſus ejus per ſuperbiam, idem valuit, ac deſcenſus in ima, & extremum præcipitium. Rupert ad citata verba Geneſ. *Niſi enim*, ait *deſcendiſſet, non incidiſſet, quia videlicet, niſi monte ſuperbiret, dati præcepti prævaricationem non incurriſſet: deſcendebat, quia mente tumebat, tumere namque aſcendere veraciter deſcendere eſt, quia ubi mens elevatur, ipſa elevatione dejicitur.* Unde Pſalm. 72. n 18. *Dejeciſti eos, dum elevarentur.*

D. Auguſt. D. Chryſ. Origen. D. Cyr. D. Thom.

Aſcendere per ſuperbiam deſcendere eſt.

Rupertus. Pſalm. 72.

QUÆSTIO XLI.

Quare inter miſerias hujus Epiſcopi apponitur, quòd eſſet cœcus, cum alias vir doctus & ſapiens exiſteret?

356. INter miſerias hujus Epiſcopi maximè, recenſetur, ac apponitur, quòd ipſe eſſet cœcus, & neſciens, unde ei dicitur: *neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis*: cùm aliàs iſte eſſet vir doctus, & eruditus, ut habet hîc Richardus de Sancto Victore explicans, in quo erat dives. Sic ait: *Dives ſive per ſcientiæ cognitionem, ſive per ſcripturæ prædicationem, ſive per ſingularis eloquentiæ nitorem.* Si ergo iſte Epiſcopus erat multùm eruditus, magnus prædicator, & maximè eloquens, quomodo cœcus, & neſciens.

Richard. Iſte Epiſcopus aliàs eruditus

357. Reſpondeo primò, quòd rectè hic Epiſcopus dicitur cœcus, quia ſe ipſum non videbat, nec cognoſcebat, & aliter de ſe judicabat, ac erat unde ei dicitur hîc à Domino. *Dicis, dives ſum, & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis*, & nulla major cæcitas, quàm quod homo ſe ipſum uno videat, cognoſcat, ac intelligat. Sic ait D. Greg. lib. 4. Moral, cap. 28. *Cœcus, quia nec paupertatem quam patitur, videt.* Sicque communiter habent Interpretes, Aretas Richardus; Bruno, Aſtenſis. & alii, & hæc eſt magna cœcitas, quæ circundat peccatorem, ut ſuam miſeram conditionem nec videat, nec agnoſcat. Altâ, & profundâ viſione indicavit Dominus, Abrahamo futurum ſtatum populi Iſraëlitici, inter cætera narrat ſacer textus Gen. 15. n. 17. *Facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans.* Septuaginta legunt, *fornax fumigabunda.* Pagnin. *Fornax fumigans.* D. Ambr. lib. 2. de Abraham cap 6. per hanc fornacem fumigantem intelligit homines mundanos, qui tanquam fornax ardent flammis ſuæ cupiditatis, ambitionis, avaritiæ, ac ſuorum iniquitatum, quorum vita tanquam fornax tota plena eſt caliginoſo, ac obſcuro fumo obcœcante eos, ne ſe, ſuamque turpitudinem videant, & intelligant. Sic ait D. Ambroſ. *Vita humana, quæ implicata iniquitatibus, ſæculi iſtius, atque involuta non habens veri fulgoris claritatem, quaſi fornax æſtuat diverſis cupiditatibus, ac quibuſdam deſideriorum anhelat ignibus, foris velut fumo quodam obtegitur, ne videat veritatis faciem.*

D. Greg. Aretas. Richard. Bruno. Qui ſcipſum non cognoſcit, cœcus eſt. Gen. 15. Septuag. Pagnin. D. Ambroſ.

Secundò,

358 Richard.

Secundò, citat. Richard. *Quàm longè Præſul iſte*, ait, *à perfecto bono receſſerat, qui in bono imperfecto perfectè confidebat, qui ſolummodò quod inſufficiens eſt, ad ſalutem habebat contemplabatur, & alterius ſe non indigere teſtabatur. Qui verè non tantùm affectus vapore tepidus, ſed & in ſenſu rationis hebes erat, qui hoc ſibi ſufficere, nec aliud neceſſarium fore credebat.* Valde dignitate conſpicuus erat hic Epiſcopus, multâ ſcientiâ illuſtris, magna eloquentiâ præclarus, & tamen neſcius, & cœcus dicitur, *neſcis quia cœcus es*. Et unde illa tanta inſcientia ac cœcitas; quia dicebat *nullius egeo*; & nulla major poteſt cœcitas homini contingere quàm ſui æſtimatio, ac perſuaſio, quòd ſibi ſit ſufficiens, ac nullius egeat. *In ſenſu rationis hebes erat, qui hoc ſibi ſufficere, &c.* Nullus eſt enim homo qui alterius opem, ac adjuvamen non exoret. Unde David ait Domino Pſalm. 15: num. 2. *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Magna cœcitas hominis exiſtimatio, quòd ſibi ſit ſufficiens.

Pſalm. 15.

359. Aretas

Tertiò, Aretas, *incipiam te*, ait, *velut abominandum cibum evomere, & quæ hujus cauſa; quia in incertis divitiis ſpem poſuiſti, & ſemine verbi Dei inter ſpinas ſuffocato, hoc eſt inter tentationes hujus vitæ ad ſæcularium divitiarum paternam tuam, & perpetuam paupertatem ignoraſti* Ait Dominus huic Epiſcopo, quod ipſe deterior ſit, quàm frigidus, *utinam frigidus, aut calidus eſſes*. Deinde *quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*. Quod evomitur ex ore, maximè exoſum, ac abominabile eſt. Tandem ait ei, *miſer, miſerabilis, & cæcus es, nudus, & pauper*. Unde illi tanta cœcitas, miſeria, ac abominatio; quia dicebat, *Dives, & locupletatus ſum, & nullius egeo*. Spem reponebat in ſuis divitiis, *In incertis divitiis ſpem poſuiſti*; & inde omnis miſeria, abominatio in eum devoluta eſt.

Magna cœcitas, & abominatio, quòd homo in divitiis ponat ſuam ſpem.

360. Quartò, unde tanta miſeria, ac cœcitas huic Epiſcopo, ut dicatur miſer, miſerabilis, & cœcus? Ex multis bonis, quæ habebat, ex multis muneribus, quæ accipiebat, ad ſuam cupiditatem explendam, & inde ei dicitur ſequenti verſ. *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas*. Collyrium enim proprium oculorum medicamentum, & maximè aptum ad exprimendum humorem noxium, qui ad ipſos fluit, viſumque impedit; & ideo tale medicamentum præſcribitur huic Antiſtiti, ut obſervarunt Andreas Cæſarienſ. & Aretas. *Collyrio inunge oculos tuos. Ad munerum deſpicientiam*, inquiunt, *quæ oculos excœcant*, ut dicitur Deuteron. 16. num. 19. *Munera excœcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum*, In eo ſtatu verſabatur hic miſer Antiſtes, quòd donis ac muneribus obcœcatus in ſui muneris adminiſtratione in gravia crimina præcipitaretur, & ideo ei dicitur, miſer, miſerabilis, pauper, & cœcus es: Dominus minatur, *incipiam te evomere ex ore meo*, tanquam quid maximè exoſum, & abominandum, ut eſt illud; quod ex ore, ac ſtomacho, per vomitum foras projicitur, tanquam, quid omni ſpurcitia plenum. Ait Regius Vates Pſalm. 24. num. 10. *In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus.* Cùm una manus muneribus plena eſt, *dextera eorum repleta eſt muneribus*; ſtatim omnes manus, omnes facultates, ac vires plenæ ſunt iniquitate, *in quorum manibus iniquitates ſunt.*

Andreas. Aretas.

Ex donis, ac muneribus acceptis iſte Epiſcopus in extremam miſeriam venit.

Pſalm. 25.

361. Cùm Rebecca obvia facta eſſet famulo Abrahæ, ait de ea Scriptura, *Ecce Rebecca egrediebatur puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro*, Gen. 24. n. 17. Ad quid Spiritus ſanctus tot ac tantis titulis, & nominibus declarat puritatem Rebeccæ? nonne ſat erat dicere, quòd ipſa erat *puella virgo*? ad quid amplius dicitur, *incognita viro*? nam ſi *puella*, & *virgo*, planum eſt, quòd erat *incognita viro*. Ad quid tot repetitiones? Voluit Spiritus ſanctus multa verba facere pro defenſione honoris, ac integritatis Rebeccæ: de ea enim dicendum erat, quod acceperat munera à ſervo Abrahæ, quia frequenter munerum receptio, pro ſequela habet inordinata, ac incompoſita; ne quis ergo de Rebecca aliquid ſiniſtrum cogitaret: inde Spiritus ſanctus tantis repetitionibus ejus integritatem, ac puritatem exprimit. Clemens Alexand. lib. 4. Stromat. *Moyſes* ait, *pulchra Epanalepſi, ſeu repetione ſignificavit Rebeccæ animæ, & corporis incorruptionem.*

Gen. 24.

Ex munerũ acceptione turpia, & depravata veniun.

Clem. Alex.

362. Judith. 10.

Cùm proficiſceretur Judith in caſtra Aſſyriorum cap. 10. n. 5. *Impoſuit Abræ ſuæ aſcoperam vini, vas olei, & poleniam, & palathas, & panes, & caſeum, & profecta eſt.* Videtur, quod Judith in hoc negotio non ſe habuiſſet juxta rerum charitatis ordinem, quod talia extraheret ex ſua civitate Bethulia, quæ dura obſidione, grandi fame, ac penuria vexabatur, & quod talia aſportaret in caſtra Aſſyriorum, ubi omnia abundabant; quomodo ſancta mulier ſic ſe habet? Unde ingreſſa tentorium Holofernis de ejus menſa non comedit, ſed de propria pera, ait Gloſſa tanquam *Rector vitæ alienæ*; ipſius nempe Holofernis, & ut vindex miniſter divinæ juſtitiæ in ipſum; ideo in tabernaculo Holofernis decrevit, non de ejus pane aliquid manducare, ſed de propria pera cibum ſumere: nam ut manus ejus eſſet recta in operando, non debebat eſſe muneribus corrupta, & ipſa judicavit eſſe valde indignum de menſa Holofernis alimenta comedere, & ipſum judicare, condemnare; ideò ſuis contenta, nihil de cibis ejus guſtavit. Cùm ergo manus hujus Epiſcopi Laodicenſis eſſet multùm muneribus corrupta, inde ipſe valdè indignè in munere ſuo ſe gerebat.

Gloſſa.

Qui judicat munera non accipiat.

Apoc. 3. n. 18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, & probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris, & non appareat confuſio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, ut videas.

VERSIONES.

Syrus.	Conſulo tibi, ut emas aurum probatum igne, ut diteſcas, & veſtem albam, ut tegaris & non conſpiciatur pudor nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, ut fias videns.
Arabicus	Quare conſulo, ut emas à me aurum igne exploratum, & percolatum, ut fias dives: & indui veſtibus albis, mederi & oculis tuis collyrio.
Aretas.	Suadeo tibi, ut emas à me aurum, &c. & collyrium, ut inungas oculos tuos.
D. Auguſt.	Ut emas à me aurum conflatum.
Vatabl. Pagn. *Arias.*	Suadeo tibi emere à me aurũ ignitum ex igne, & veſtimenta alba, ut induaris; ne appareat dedecus nuditatis tuæ.
D. Cyprian. Primaſius.	Et non appareat in te fœditas nuditatis tuæ.
Ribeira.	Et veſtimentis ſplendidis induaris.
Alii ex Græco.	Ut non appareat ignominioſa nuditas tua.

EXPOSITIO XIII.

363. *Providentia remedia neceſſitati.*

MAGNUS, & miſericors Dominus non vult relinquere hunc miſerabilem Antiſtitem ſine pietate, ſed ſinguli ejus miſeriis, ac malis ſuum remedium offert, de eo dictum eſt ſuperiori verſu *quod eſſet pauper, & cœcus, & nudus*. Ideo paupertati aurum probatum: nuditati veſtes albas, cœcitati collyrium deſignat. & quia ipſe tepidus erat; ideò ei conſulitur, non quodlibet aurum, ſed ignitum de igne; fervida nempe & inflammata charitas.

Suadeo tibi emere à me aurum ignitum ex igne ut habent Græca exemplaria, ideſt extractum ab igne, prorſus ignitum, & conſequenter purgatum & probatum ab omni ſcoria hypocryſis, & latentis malitiæ; per quod aurum intelligitur communiter charitas, non quibuſcumque; ſed præſtantiſſima inſtar auri: non tepida, ſed fervens, & ardens. *Emere* non argento, & auro; non de condigno, ſed de congruo, nempe per actus fidei, ſpei, pœnitentiæ orationis, & aliarum virtutum, *ut locuples fias*, depulſa tua paupertate.

365. *Et veſtimentis albis induaris*: non ex lana, vel byſſo, quibus Laodicea abundat, teſte Strabone, ſed ex innocenti, caſta, & puravita: *ut non appareat confuſio nuditatis tuæ* Nam ſine his veſtimentis albis nudus appares, & plenus confuſione, ac pudore, ut hactenus fuiſti. *Et collyrio injunge oculos tuos*. Collyrium eſt optimum medicamentum oculorum, præſertim ad lippitudinem. Inunge ergo collyrio cœleſtis ſapientiæ, ex conſideratione divinorum attributorum, Paſſionis Chriſti, ac futurorum bonorum, tuorumque malorum, ut ſic depellas mentis tuæ tenebras ut videas.

QUÆSTIO XLII.

Quare Chriſtus D. cùm ſit liberaliſſimus non promittit dare gratis, nec præcipit accipere, ſed ſolùm ſuadet emere? Verba textus altiùs expenduntur?

PRimo Chriſtus non ſolùm omnium eſt Dominus, ſed etiam ſupremus, & omnipotens; in ſua libera poteſtate erat omnes cogere ad hoc aurum accipiendum, vel ſaltem jubere; tamen ſolùm ſuadet, & conſulit, quia Deus nemini vult inferre violentiam, ſed unumquemque in ſua libertate relinquit D. Bernard. tom. 2. qui eſt de Evangelio æterno, Feria 4. in die Cinerum art 1. cap. 1. *Iſte mercatur*, ait, *neminem violentat hanc mercaturam emere, ideò quodammodo arcana prudentiæ ſuæ ſtatuens, illum dicit; ſuadeo: ſuaſio dici poteſt quidem, non coactio; ſed moderata exhortatio Dei, vult enim Deus mercator voluntatem noſtram in libertate arbitrii permanere, dum ſumus in hac vita.* 366.

Deus neminem violentat ſed in ſua libertate relinquit.

D. Bernard.

Secundò, Anſbertus. *Notandum*, ait, *quid priùs conditor, quem ſuperiori verſiculo vehementer increpando terruerat, nunc ad emendum non terrendo, ſed ſuadendo tepidum invitat; formam, ſcilicet, imitandam nobis præbens, ut aſperis lenia permiſceamus, & modò increpationibus, modò ſuaſionibus auditorum corda pulſemus.* Modò non rigido præcepto, nec grandi comminatione imperat Dominus ſed leni & ſuavi ſuaſione; nam immediatè antea ſuperiori verſiculo durè Dominus reprehendit Epiſcopum, dureque comminatus eſt; quia enim pejor frigido erat, ob ore ejus evomendus erat, *Utinam frigidus, aut calidus eſſes, ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*. Nunc verò mutat ſtylum & amicabiliter invitat, ac ſuadet ad emptionem docens nos, non ſemper duris, & aſperis verbis, ac comminationibus inſtandum eſſe, ſed aſpera lenibus, & dura ſuavibus permiſcenda. 367. Anſbert.

Deus increpatio lenibus permiſcenda eſt.

Tertiò, & maximè genuinè ad litteram, verbo emendi exhortatur Epiſcopum, ut multa faciat, multaque ex parte ſuâ adhibeat, ut aptus & idoneus inveniatur ad iſta dona accipienda. Emptio ergo iſta denotat multam induſtriam, ac diligentiam hominis, ut dicitur Proverb. 23. num. 23. *Veritatem eme*, ideſt magno labore, ſtudio, ac cum diſpendio temporalium rerum compara ſapientiam. Ita Pererius, Cornelius, & alii. 368.

Quid hic ſignificet emere.

Perer.

Ex quo colliges, cur hic Epiſcopus excitetur, ut emat aurum; Samaritana verò, ut petat aquam; dicit ei Jeſus: *Si ſcires donum Dei, tu forſitan petiiſſes ab eo?* Joan. 4. num. 10. Tum, quia aquam petitur aurum verò mercibus comparatur, tum etiam, quia mulieri piæ ſat erat petere, at hic Epiſcopus, ut multùm arrogans qui dicebat, *Locupletatus ſum, nullius egeo*; ut ita ejus jactantia reprimeretur, & ipſe ſciat ac agnoſcat ſuam paupertatem, dicitur ut emat aurum, ut locuples fiat, ut ita videat, quantùm diſtet à veris divitiis, quantumque ei 369.

Joan. 4

Homines arrogantia reprimenda.

impenden